

12

# DISSE<sup>T</sup>ERTATIO INAUGURALIS JURIDICA DE PRIVILEGIIS

QUAM  
IN ALMA, & PERANTIQUA UNIVERSITATE  
COLONIENSI  
SOLENNI SUB PRÆSIDIO

*Prænobilium, Clarissimorum, Consultissimorumque  
Virorum, ac Dominorum*

D. FRANC. GABRIELIS HAMM

J. U. D. Professoris Ordinarii & Publici  
Venerandæque Facultatis Juridicæ Dictatoris.

NEC NON

D. JOANNIS PETRI WIRTZ

J. U. D. Professoris Ordinarii ac Publici  
Ejusdémque Facultatis Fisci.

*Pro Summis in utroque Jure Honoribus, ac Doctoralibus Privilegiis  
More Majorum ritè capessendis*

Publicæ Eruditorum disquisitioni submittit

PETRUS SCHEBEN Kerpensis

Presbyter. Ss. Theologiæ Baccalaureus.

Anno MDCCCLXXI. Die <sup>7ma</sup> Martii horis & loco consuetis.

COLONIÆ EX TYPOGRAPHIA UNIVERSITATIS.



J. Everaerts fec. Col.

*REVERENDISSIMO, PERILLUSTRI DOMINO*  
**MAXIMILIANO HENRICO**  
**JOSEPHO ANTONIO**  
**LIB. BARONI**  
**D E G E Y R**

IN SCHWEPPENBURG.

Hujus Universitatis Procancellario, & J. U. Doctori,  
Metropol. Colonensis & Cathedralis Leodiensis  
Canonico Capitulari,  
Per insignis Collegiatæ Vifetensis Abbatii sacerdotali,  
Domino in Westonne &c.

*ET PERILLUSTRI, GENEROSO DOMINO*  
**FERDINANDO, JOSEPHO,**  
**BALTHASARI**  
**LIB. BARONI**  
**D E G E Y R**

IN SCHWEPPENBURG,

Dynastiarum Müddersheim, Andrimont, Winterburg Toparchæ,  
Domino Castri immediati S. R. I. Schweppenburg,  
& Castri Ursfeld &c.

Supremo Advocato Hæreditario Marchionatū Francimontani,  
Ærarii publici Statuum Colonie nsium Thesaurario generali

**FRA TRIBUS GERMANIS,**  
Mæcenatibus gratæ Venerationis obsequio  
perpetuū colendis.



orūm, quæ de Jure Pontificio, & Cæsareo ( quantum  
otii mihi illustris Juventutis GEYRIANÆ institutio  
concedebat ) per subsecivas operas delibavi, tenue spe-  
cimen fulgore Nominum Vestrorum ornari eò benig-  
nius permittetis VIRI ILLUSTRES! quòd in hác olim  
Palæstrâ athletice luctati, inter Severiora, quæ jam vos occupant, ne-  
gotia non fastiditis has scholæ velitationes. Servantur ad Academiæ  
nostræ memoriam Dissertationes in hac Scholâ publicâ venerandæ Fa-  
cultatis Juridicæ Colon. pro obtainendis Academicis in utroque Jure  
honoribus propugnatæ: De celebriorum Juris Interpretum in mate-  
riâ contraetuum diffensu per Discursus XII ad Veri, justique Prin-  
cipia comparato. Etiam: De Præscriptionibus Juris Gentium. Ha-  
rum Lucubrationum anterior an. MDCCXXXII. edita FERDINAN-  
DUM JOSEPHUM BALTHASAREM Authorem, Defensorémque  
exhibebat; posterior an. MDCCXXXIV Authorem & Propugnatorem  
MAXIMILIANUM HENRICUM JOSEPHUM ANTONIUM.  
Ambo in publica commoda, & nati & facti luculentis indicis domi  
forisque palam fecistis, quod per illa Juventutis exercitamenta utili-  
ter ad res cum laude postea gerendas ingenia præparentur. Sicut am-  
bos impulit Patris exemplum, qui Juris Lauream per merita in no-  
strâ, Pragensi, ac Salisburgensi Academiis comparata obtinuit apud  
Bononienses, ita duos de illustri Domus Vestræ propagine nuper ve-  
strum exemplum fecistis imitari; hos dum sequentur alii, constans  
incrementum splendori Sanguinis accedet per eruditionem publicis &  
propriis rationibus profuturam. Disparia omnino momenta pro meâ  
me tenuitate ad imitandum impulerunt. Non indecorum ego visum  
iri confido, quod me Themidi Academicæ hac initiatione devo-  
veam. Felicior erit, & magis jucunda progressio, si ju-  
dicio Vestro conatus meos probari  
cognovero.

# PRÆFATIO.

**A**mplius est argumentum de *Privilegiis*, quām ut pro dignitate suā excultum lucubratiunculæ in æ angustiis concludi valeat : etenim si complecti ea omnia, & destinatiūs enodare vellem, quæ de *Privilegiis* in genere, & specie, tum & de eorum excessibus, retorsione, conflictu, interpretatione, deque, cognatis privilegiorum tradunt sacri, profanique Juris Interpretates, sanè campus mihi panderetur, cui emetiendo nec occasio nec tempus suppeterent, nec fortè vires. Igitur ne vagus paler per vastissimum agrum, faciam quidem, ut & publici, & privati Juris, tum canonici, tum civilis placita hinc inde salutare videar, discursui tamen toti sequentia quatuor capita figant limites.

## CAPUT I.

*De variâ acceptione, naturâ, & divisione Privilegii,  
deque iis, qui Privilegia concedunt.*

I. **P**RIVILEGIUM latissimè acceptum qualemcumque, & quācunque de causâ natam prærogativam innuit, quam non solum Jus seu lex, sed natura quoque, & quodvis accidens alii præ alio impertit. tale habet gigas præ nano, Cœlus præ Iro, Narcissus præ Mopso, hoc sensu *SENECA* de vita tranquil. c. 3. si dicis sapientem

A

equo

*quo animo laturum injuriam , nullum habet privilegium , contingit illi res vulgaris... latè sumtum indigitat jus singulare , quod vel certis causis &c. rebus nullo habito personæ respectu , tribuitur , quale datum est causis piis , dotibus , alimentis &c. vel certo personarum ordini , extra respectum ad certum quoddam subiectum , statuitur , quale est Clericorum , Militum , Minorum , Mulierum &c. quæ omnia , quamquam privilegia haud propriè sint , eò quod in privos ( unde privilegii etymon dist. 3. cap. 3. ) seu in singulas personas non constituantur , latius tamen sumtâ privilegii voce passim hoc nomine solent designari... strictè accipitur pro jure , quod in privatum , i. e. in certam ac singularem personam constituitur , ut si cui Princeps indulget immunitatem à tributis , & hoc propriè privilegium dicitur , seu constitutio personalis L. I. §. 2. ff. de constit.*

II. Evidem latissimum illum , & minùs Juridicum privilegii significatum missum facio , adeò tamen eum hoc loci laxatum volo , ut non solum constitutiones personales , sed & Jus quodecunque singulare ( sive illud certam causam , rem , dignitatem , locum &c. sive certum personarum ordinem , sive certum denique individuum à Jure communi eximat ) sub hac denominatione includam , ita siquidem fert utsus fori in ipsis quoque legibus rationem habens . sic in L. 196 ff. de R. J. quædam privilegia causæ , quædam personæ esse dicuntur .

III. Retento igitur hoc laxiori significatu , Jus singulare L. 16 ff. de leg. constitutio personalis , §. 6. Instit. de J. N. G. prærogativa L. ult. C. de fruct. & lit. expens. beneficium Principis L. 3 ff. de Constit. Princ. similésque appellations promiscue designant privilegium , quod describo ad mentem H. Crot. de Jure B. & P. Lib. 2. c. 18. §. 4. Jus singulare seu speciale contra Juris universalis , seu communis tenorem certæ rei , vel personæ à summo Imperante æquitatis administrandæ causâ legitimè tributum .

IV. Potiores privilegii divisiones sunt . (1) Quâ dispescitur in reale , & personale , hoc intuitu personæ concessum ei immediatè cohæret , & regulariter cum eâ extinguitur L. 68. & 196. de R. J. illud rei , causæ , loco &c. ita tribuitur , ut in quemlibet causæ illius Successorem , loci , vel rei legitimū possessorem transeat . L. I. §. 43. ff. de aqua quot.

quot. & æst. datur & mixtum, quod ex singulari Juris dispositione, vel conventione ad hæredes, vel alios transit, ut ut personæ potius quam rei cohærere videatur; tale est privilegium *competentia*, quod ex personâ patris in dotis Judicio condemnati in filios hæredes transit L. 18. per ff. solut. matrim. tale & est *restitutionis in integrum*, quod ex personis eorum, qui ipsi in integrum restitui potuere, successoribus competit. L. 6. ff. de restit. in integ. Boehm. ad ff. tit. de constit. Princ. §. 7. mixta quoque in certo sensu vocari possunt privilegia *corporalia*, quod illa non solum penes eos maneant, qui de facto corpus constituunt, sed transeant ad Successores Engel b. t. n. 3. (2) In *gratiosum*, & *conventionale*, illud ex merâ concedentis gratiâ fluens facilius revocatur; hoc titulo oneroſo quæſitum transit ad hæredes acquirentis, nec à concedente ejusve successore, niſi ex causâ prægnante, e.g. ob utilitatem publicam, revocari potest; Superior enim & subditus pacientes nullo habentur discriminare Grot. Loc. cit. C. 14. §. 1. ad *conventionale* reduco *remuneratorium*, cui passim eadem cum illo natura tribuitur. (3) In *perpetuum*, quod sine ullâ limitatione concessum inhæret rei de se perpetua, & *temporale*, quod restringitur ad certum tempus, conditionem, qualitatem &c. sic *temporale* est ad *beneplacitum concedentis*, *perpetuum* verò ad *beneplacitum Sedis concessum* C. 5. de *rescip.* m 6. (4) In *clausum in corpore Juris*, & *datum per rescriptum speciale*. contra illud si comparitionem, aliudve quid injungat *Judex*, impunè ei non paretur c. 5. & 7. X. de *excess. Praelat.* in hoc si privilegium turbare velit *Judex*, reverenter exhibendum est, cum facti sit, & *Judicem* latere possit C. 7. b. in 6. (5) In *privilegium ultra Jus*, & *contra Jus*, hoc *Juri communis* vulnus infligit, vergitque communiter in *præjudicium tertii*, & ideo odiosum; illud citra cujusquam *præjudicium* meram gratiam continet, proceditque de eo L. 3. ff. de *Constit. Princ.* interest inter utrumque & quoad *Interpretationem*, & quoad amissionem per non usum. De quo latius *infra*.

V. Concedunt privilegia, qui Juris condendi authoritate pollent, namque qui sancit leges generales, is quoque rem, causam, aut personam juris communis tenore eximit, omnib[us]que generaliter necessitatem imponit, ne tali privilegio mactatum in ejusdem usu

turbent. Unde fluit (1) Summum Pontificem , & Supremum loci cuiusque Principem indulgere privilegia contra Jus commune. (2) Concedunt privilegia Hierarchæ , & Principes inferiores , quorum tamen potestas legibus , quas ferre possunt , proportionata sit , oportet. Zoës. de *Constit. Princ.* n. 15. (3) Consuetudo ut irrequisito etiam Principis consensu speciali , legem abrogat , ita magis in parte ei prævalere potest , consequenter & huic eadem tribuenda potestas *Can. 8 C. 9. q. 3.* nec ea neganda est præscriptioni , quæ pro conditione personarum , contra quas , & pro qualitate privilegii , quod quis acquirere , aut extinguere intendit , vel longi temporis est , vel longissimi , vel immemorialis , vel demum anomala. vide *cap. 15. X. b. t. Cap. I. de præscrip. in 6. L. 10. ff. si Servit. Vind.*

VI. In Specie in Imperio Romano - germanico privilegia concedit Imperator , & licet ad ferendam legem universalem Ordinum Imperii consensus (ut conditio sine quâ non , cave dicas , ut causa socia) accedit , necesse est. *Instrum. pac. Osnab.* § gaudeant 2. , vi tamen Reservati privilegia concedit etiam extra Comitia , & inconsulis Imperii statibus *Capit. Leop.* §. 44. quæ vim suam per totum Imperium exercunt. Dumne (1) vergant in detrimentum Imperii (2) dumne pro objecto habeant negotia totum Imperii statum concernentia , uti exigendi , augendive vestigalis , cedendæ monetæ , fruendi voto , & sessione in comitiis Imperii. *Capp. Joseph. art. 20. & Carol. art. 22.* (3) Dumne tendant in præjudicium Superioritatis territorialis statuum , sic , cui Imperator confert dignitatēm Principis , aut Comitis eum nec ab obsequio , quo antea suo Principi , vi Superioritatis territorialis , devinciebatur , nec ab oneribus territorialibus eximit , *Cap. Carol. cit. loc. Stryck. in U. M. de constit. Princ.* §. 8. & 9.

VII. Intra territorium potestas eadem , sed territorio & potestati legislativæ proportionalis competit Imperii statibus ; ex eodem namque fonte superioritatis territorialis , & legum communium in suis territoriis , & constitutionum specialium seu privilegiorum sanctio promanat modò (1) negotia subditorum privata concernant. (2) Publicam Imperii salutem non offendant. (3) Non derogent privilegiis Imperatorum universalibus , queis frustra tribueretur universalitas , si per totum ,

tum, quâ patet, Imperium suo non gauderent effectu, & hinc privilegium impressorum bibliopolæ ab Imperatore concessum à statu quodam Imperii tolli non posse in thesi certum puto. *Stryck. in U. M. de constit. Princ. §. 11.* Quamvis in hypothesi, quâ aliquis Imperii status grave inde quoad suos subditos incommodum sentire cognosceretur, Imperator privilegii à te concessi executionem non facile ursus sit.

VIII. Nec suprema Imperii Dicasteria, nec Provinciale Principis territorialis, aliive magistratus subalterni privilegia concedunt, ministri enim Juris sunt, non arbitri... nec communitas aliqua, nec collegium, nec tribus, uti enim statuta non ferunt, nisi omnino impro priè talia, ita nec exemptiones à lege facere possunt, nisi tales, quæ potius conventionis seu pacti, quam privilegii naturam participant.... sin magistratui cuidam subalterno, volente ita Principe, Jus statuendi competenter, ille concedendo privilegia nihil alienum à munere suo faceret, sed illud ipsum, quod in Jure statuendi jam tum comprehendebatur; nec enim debet, cui plus licet, quod minus est, non licere *L. 21. ff. de R. f. pariformiter si cui gratiosa Principis concessio potestatem faceret à Jure communi eximendi, recte is privilegia concederet, ut ut alias Jure statuendi foret destitutus.*

## CAPUT II.

### *De Privilegiorum Interpretatione.*

I. **I**nterpretatio privilegii nil aliud est, quam congrua verborum ejus explicatio, quâ sit, ut percipiatur, quid, quantumve sub hoc vel illo privilegio, sub hac vel illâ privilegii specie continetur, ac comprehendatur. Interpretatio hæc vel *authenica* est, & vim legis habet, emulatur huic *usualis* & participat virtutem authenticæ. *L. 38. ff. de leg. vel doctrinalis.* hæc si simpliciter secundum verba facta privilegium declareret, *grammatica* vocatur, sin privilegiantis mentem ex probabilibus conjecturis, argumentis, & rationibus exponat, *logica* dicitur, quæ iterum vel *extensiva*, si ratio-

privilegii latior est verbis, vel *restrictiva* est, si ratio verbis specia-  
lior & angustior. *Bæhm.* tit. 1. ff. de *Just.* & *Jur.* §. 2. & seqq.

II. Sicuti legis, ita & privilegii *authentica* interpretatio soli po-  
testati legislativæ primariò tribuenda. sic *Paulus* in L. 43. pr. de  
*vulg.* & *pupil.* substitut. ait: *beneficia quidem Principalia ipsi Prin-*  
*pes solent interpretari.* Hoc circa privilegia arbitrium cum potestate  
legislativâ jam supra magistratui subalterno, aliisque statuendi fa-  
cultate destitutis negavi; cum verò, quam Princeps impendit pri-  
vilegio, interpretatio solis liberæ voluntatis regulis alligata sit, ut  
inquit *Celsus* in L. 191. de R. J. quem modum beneficij sui esse vel-  
let, *ipsius estimationem esse*, nec de Principali Judicio disputare  
oporteat L. 3. C. de *Crim. Sacril.* meum jam non est multa dis-  
serere de regulis, secundūm quas Judicium Principis in interpre-  
tando privilegio institui possit, aut debeat.

III. Ad Judicem ergò progredior, cuius officio, quin annexa sit  
potestas *doctrinaliter* interpretandi privilegia, & applicandi, eò mi-  
nùs dubitandum, quòd illa nec Jurisconsultis denegetur L. 43. pr.  
*de vulg.* & *pupil.* substitut. : cui namque de regulâ, ei quoque de exceptione,  
cui de lege generali, ei quoque de singulari seu privilegio cognitionem  
competere, triti Juris est. At verò cum leges sint, quæ jubent in-  
terpretationem strictam, uti L. 21. ff. de *testam. milit.* L. 162. ff.  
de R. J. L. 3. C. de *Leg.* item C. 3. G. 7. C. 20. X. b. t. Sint  
& aliae, quæ plenissimam, & largissimam volunt, veluti L. 3. ff.  
de *constit. Princ.* L. 201. & 220. ff. de *V. S.* nec non C. 22. X.  
b. t. C. 6. X. de *donat.* quid in hac legum diversitate statuet Ju-  
dex Areopagita, quam impendet interpretationem? Hærentem de-  
terminare possunt sequentia.

IV. In omni interpretatione nil curandum magis, quām ut *vo-*  
*luntas*, propositum, & intentio conditoris conservetur L. 18. ff. de  
*leg.* et si fors verba diversum sonent L. 3. ff. de *reb. dub.* Velle au-  
tem non præsumitur Princeps ea, quæ non potest; nunquam igi-  
tur privilegii interpretatio ultra *potestatem* aut *voluntatem* Principis  
extendenda. Quare cum Princeps leges quidem ferre possit, sed  
hu-

In manus tantum, talesque, quæ nec Juri naturali, gentium, aut divino positivo adversentur, ita fiat privilegii interpretatio, ut ne his Juribus contraria permittat, immo improprianda potius verba privilegii, quam ut quid iniqui contineant C. 8. X. de Sent. excom. Bæhm. de fin. priv. reg. cap. 2. §. II. ut Justitiam, æquitatemque ita honestatem, verecundiam, pietatem, & bonos mores Princeps inviolatos conservare debet, nec ullum sibi adversus ista Imperium datum existimet, hæc enim quæ lèdunt, nec facere nos posse credendum est. Ait Papin. in L. 15. ff. de condit. instit. hæc contra ne impingat, constringantur privilegii fines.

V. Contra Jus, & utilitatem publicam nil velle censetur Princeps, cuius talis semper voluntas esse præsumitur, qualis esse de Jure debet; igitur concessum ab eo privilegium non debet faltem, & utilitatem publicam lèdere L. 10. C. de Ss. Eccles. L. 6. ff. qui testam. fac. poss. hinc quoties cum Jure publico privilegiarius concurredit privilegium ejus ob publicam utilitatem & necessitatem, aut quiescat tantisper necesse est, aut ipsum eò interpretari conveniens, ne communi necessitati, & utilitati contrarietur Ita immunitas à collectis non extenditur, ad illas, quas suboriente subito necessitas imponit, neque dum magna urget necessitas, quenquam à magorum vigiliis privilegium excusat. C. 2. X. de immun. Eccles.

VI. Nec moris est Principum in cujusquam injuriam beneficium tribuere L. 4. C. de Emanc. & iniquum est cum alterius quenquam damno locupletiorem fieri L. 14 ff. de condit. ideoque nec illud velle censetur Princeps, cuius voluntas semper justa præsumitur; proinde privilegium in præjudicium, damnum, vel injuriam tertii cedens, aut subreptitum & pro nullo habetur C. 22. X. de V. S. L. 4. C. de emanc. aut si fieri possit, ita interpretandum, ne in tertii præjudicium, fraudem, aut injuriam tendat C. 2. C. 5. X. de ædif. Eccles. C. 2. X. de relig. Domib.

VII. Quæ ratio concedere jussit privilegium, ea quoque talem illius interpretationem suadet, ut, qui expressè vel tacite in privilegio continentur, ex eo fructum sentiant; instituatur ergo ita interpretatio, ne fiat inutile, aut elusorium, sed semper quid ultra,

aut

aut contra Juris communis tenorem operetur , est enim hæc essentia-  
lis privilegii forma , quæ si abesset , privilegium nullum evaderet.  
*Grot. de J. B. & P. L. 2. C. 18. §. 4.*

VIII. Cæterū cùm privilegia æqualitatem tollant inter cives , in-  
æqualitas autem odiorum , rixarum , & æmulationum mater sit , ita  
quidem semper accipiendum privilegium , ut quid concedat contra  
vel ultra Jus commune , ut tamen etiam , quantum fieri potest , mini-  
mum Juri communi deroget *Bœhm. de fin. priv. reg. C. 2. §. 14.*

IX. Ex hac tenuis dictis de se fluunt sequentes regulæ: PRIMA. Pri-  
vilegium non debet nimium derogare Juri communi , nec includere casum  
legibus naturæ , Diuinis , honestatis , verecundiæ , pietatis , utilitati pu-  
blicæ , & Juri alteri quæsito contrarium , quod ne fiat , stricta sit privi-  
legii interpretatio. Firmat hanc regulam ALEXANDER III. in con-  
cilio Lateran. toto Cap. 3. b. t. SECUNDA: privilegium ob nimis strictam  
verborum acceptiōnem non debet fieri inutile , & elusorium , nec degene-  
rare in jus commune , sed semper jus singulare contra juris communis te-  
norem constituat , hunc in finem privilegii Interpretatio latior esto. hanc  
regulam stabilit HONORIUS III. c. 26. b. t. Ubi severitate debitâ  
castigatos vult eos Judices . qui privilegii non vim , & potestatem , sed  
sola verba sectantes in fraudem privilegiatorum sententias ferunt.

X. Consequitur ex Regula primâ (1) privilegium quo septuage-  
simi anno absolute immunitas ab oneribus civilibus præstatur L. 1.  
C. qui ætat. restringi ad munera , quæ corpore , non etiam ad illa ,  
quæ consilio vel patrimonio obeuntur , extendi debere L. 2. §. penult.  
*ff. de excus. & vacat. mun.* (2) privilegium de habendis sacris in pri-  
vatis ædibus , intelligendum esse de Oratorio , & absque campanis.  
C. 10. X. h. t. (3) Privilegium , ut de laboribus , quos propriis ma-  
nibus , & sumtibus colerent , decimas non solverent Monachi de Ne-  
velesiâ , non extendi ad agros , quos conduxerant , aut receperant ad  
firmam C. 8. X. de decim. (4) Privilegium , quo quis à testimonio in Ju-  
dicio dicendo eximeretur , limitari ad casum , quo alii testes haberi pos-  
sent , non autem extendi ad illum , quo nequeunt haberi alii , quia  
contra pietatem foret , si obstante hoc privilegio innocens causâ deberet  
cadere , aut contra honestatis publicæ rationem , si reus criminis prop-  
terea convinci non posset. *Bœhm. de fin. priv. reg. C. 2. §. 15.*

XI. Consequitur ex Regulâ secundâ (1) Legatorum immunitatem non ita coarctandam , ut ab injustâ tantùm vi tuti essent ; in eo enim nil esset præcipui. *Grot. de J. B. & P. L. 2. C. 18. §. 4.* (2) Immunitatem hanc ad Legatorum famulos , & comites necessarios extendendam. *L. 41. §. 3. ff. de excus. tut. L. 7. ff. ad leg. Jul. de vi pub.* (3) Privilium Fratrum Minorum & Prædicatorum , ut ubicunque fuerint cum altari viatico missarum solennia celebrarent , intelligendum , ut præfata indulgentia ad consensum loci Prælatorum (Episcoporum ) adstricta non sit *C. 30. X. h. t.* (4) Sic privilegium , quod Ponticis beneficio Pompeji M. concessum legitur , ut matre Ponticâ natus Ponticus esset *L. 1. §. 2. ad municip.* non restringendum ad solos vulgo quæsitos , sed prorogandum quoque ad legitimos , modò matre Ponticâ oriundi , licet patre extero. (5) militum privilegia extendenda regulariter esse ad Curiones castrenses , Medicos &c. *L. 33. §. 2. ff. ex quib. caus. major.*

## CAPUT III.

### *De Privilegiorum Concursum.*

I. **S**icuti privilegium , dum de certâ concedentis voluntate constat , tutò opponitur illi , qui jure communi contra privilegiatum uti prætendit , ita etiam elanguet contra illum , qui eodem privilegii genere , in eadémque causâ gaudet , quò collineat regula in vulgus nota : *privilegiatus contra æquè privilegiatum non privilegio suo, sed jure communi utitur. Stryck. de Jure privil. contra privileg. C. 1. n. 52.* Cum turmâ Auth. ibi cit. hinc (1) minor adversùs mutuò sumtam ab alio minore pecuniam , ludendóque perditam nequit restitutionem in integrum petere : par enim privilegiatus cum pari concurrit in pari causâ , in quâ consumentis conditio melior est. *L. 34 ff. de minor.* (2) Misérabiles personæ , quæ sive agant , sive convenientiantur , omisso Judice inferiore , statim ad Superiorem provocare possunt ; si verò concurrent inter se , quoad primam causæ audientiam , & cognitionem , ad curiam Principis se se evocare nequeunt ; conquaßatis enim privilegiis standum est Juri communi , *Brunnem. ad L. un. C. quando Imp. Jur. pupill.*

n. 18. (3) Filius familias major alteri filiof. majori mutuam dans pecuniam nil repetit; conquassatis enim privilegiis melior est consumentis conditio L. 11. §. pen. & ult. ff. de min. Zoës. ad tit. de SCt. maced. n. 25. (4) Privilegium filiisfam. concessum quadantenus Civitati & Ecclesiæ competere evincit L. 27. ff. de reb. cred. C. pen. X. de fidej. nempe, ut pariter ex mutuo per administratores contracto non obligentur, nisi probatâ priùs in rem versione. At verò administratores unius civitatis, si crediderint administratoribus civitatis alterius, civitati creditrici ad repetitionem agenti probanda non est versio in rem; obstat enim exceptio paris privilegii. Stryck. de Jure priv. contra privileg. C. 2. n. 47. Idem dicendum in Casu quo Ecclesia creditrix concurrit cum Ecclesia debitrice, aliáve causâ piâ.

II. Fallit Regula primò. Si alter privilegiatorum certet de damno vitando, alter verò de captando lucro, tunc enim privilegia non conquassari, sed illius privilegium, qui de damno vitando certat, prævalere dicendum est. L. fin. ff. ex quib. caus. maj. Siquidem ita fit, ut neuter in damno hæreat, quô quid æquiùs? Hinc (1) Ecclesia contra Ecclesiam non vulgari tempore, sed quadraginta demum annis, non secus, ac privatus quidam, præscriptionem complet. C. 6. C. 8. X. de præsc. (2) Privilegium, quod in Judicio dotis marito competit, ut ultra, quam facere possit, non teneatur, cedit privilegio uxoris, si & ipsa sit egens, cùm certet de vitando damno Carpz. L. 2. tit. 2. resp. 37. (3) idem obtinet in vasallo contra feudi dominum agente, nempe ut beneficium competentiæ cesseret, si & ipse vasallus inops sit. Stryck. in exam. Jur. feud. cap. 25. q. penult. (4) Jacet privilegium SCti Maced., si filiusf. ex mutuo locupletior existat, L. 11. §. pen. & ult. ff. de min.

III. Fallit secundò: si ex diversis privilegiis alterius privilegium generale sit, alterius verò speciale, h.e. si alter speciatim in hac, de qua agitur, causâ privilegium adeptus sit; hoc enim casu omnino privilegiatus in specie utitur suo privilegio contra in genere privilegiatum. Bartol. in Auth. quas act. C. de Ss. Eccles. Sic casu, quo Ecclesia testamento hæres instituitur, aliique Ecclesiæ eodem testamento tot relinquuntur Legata, quæ hæreditatis dodrantem excedant, Ecclesia hæres tanquam in genere privilegiata contra Ecclesiam legatariam in specie

specie privilegiatam quartam falcidiam non detrahit , quia Ecclesia legataria in specie reperitur privilegiata , cùm Ius novum de legatis pīs falcidiam detrahi prohibeat , Nov. 131. C. 12. pr. hæredis autem nulli mentio facta videatur. Pari modo nec pia causa hæres instituta de legato alimentorum dodrantem superante falcidiam detrahit , quia privilegium hoc speciale est , Tiraquel. de privil. pīe caus. priv. 26. Bækm. § 17. ff. ad Leg. Falcid.

IV. Fallit tertio , si privilegia , quæ concurrunt , inæqualis sint roboris ; in hoc enim conflitū , ut̄ solet fieri , potentius infirmiori prævalet. Potentius autem est (1) illud , quod naturale est , & universalius altero , quod accidentale est , & minus universale : sic si concurredit minor cum filiof. aut muliere , prævalet minoris privilegium , quippe naturale , & universalius ideo , quia quisque aliquando minor , non etiam foemina , aut filius familias. Et hinc si à filiof. minorenni mutuam sumiserit pecuniam filiusf. major , hic illi pecuniam repetenti frustra opponit exceptionem SCti Maced. , ut̄ ut̄ pecunia in rem ejus versa non fuerit. L. 11. s. fin. de min. pariter si fidejubente muliere minor crediderit pecuniam , & debitor non solvendo existat , rectè minor mulierem pulsat invanū ad SCtum Vellej. provocantem L. 12. ff. de min. (2) cùm ex unā parte unum , ex alterā duo diversa privilegia stent , hæc prævalent illi ; sic si minor , & causa pia concurrunt cum Fisco , hi contra illum restituuntur in integrum , nam duo vincula fortius ligant , quam unum. (3) si cætera paria sunt , potentius est illud , quod antiquius ; sic casu , quo maritus mortuā primā conjugē ad secunda vota transeat , & moto postea concursu decedat , & ita contingat , ut non tantūm hæredes primæ uxoris , sed superstes quoque vidua ad repetitionem dotis agat , tunc si NB. res in dotem datæ non amplius extent , in hoc concursu duarum mulierum dotem repetentium , dos prioris Uxorū tanquam prior tempore præferenda est doti secundæ uxoris . videsis Stryck. de Jur. privileg. contra privileg.

## CAPUT IV.

*De modis , quibus privilegia extinguantur.*

I. **V**ariis modis , ac quidem (imò) revocatione dantis finiuntur privilegia. L. 100. & 102. ff. de R. J. quod indubium , si adjecta

fit clausula : *ad beneplacitum*. Sin alias , simplicem sine causâ revocationem privilegii etiam merè gratuiti non videtur permettere fides , & candor Dignitatis Principalis Stryck. de *Jur. priv. contra priv.* quæ verò ob bene merita , titulōve quodam oneroso quæsita sunt , quoniam in contractum incident , ob juris naturalis vinculum ea nequit revocare Princeps , nisi urgente utilitate , aut necessitate publicâ ; huic enim privatorum utilitatem postponendam itidem Jure naturali docemur. Zoës. ff. de Leg. n. 37.

II. Finiuntur (2dō) finito tempore , ad quod concessa sunt. Arg. L. 27. s. 1. ff. de *pact.* sic laesus in aetate minorenni , lapso quadriennio , ab adeptæ majorenitatis tempore computato , frustra implorat beneficium restitutionis in integrum , L. fin. C. de *temp. in integ. rest.* pariter exceptio non numeratae pecuniae , in quantum privilegiata , lapsō biennio exspirat L. 14. C. de *non num. pec.*

III. Finiuntur (3tiō) extintis re , causâ , vel loco , eorumque , uti & personarum qualitate , ob quam indulta sunt , L. 6. s. 14. ff. de *exc. tut.* sic desinens esse studiosus , eorum privilegiis deinceps non fruitur ; sic si locus per legitimam potestatem ex proposito destructus fuerit ; salvum nequit esse privilegium , destruendo quippe fundamento , Zoës. ff. de *Constit. Princ.* n. 28. aliud foret , si per ruinam , bellum , aliūque casum domus v. g. privilegiata destruta fuerit cum spe reædificationis ; hæc enim salvum , teclumque servat privilegium , L. 37. de *contrah. emt.*

IV. Finiuntur (4tō) privilegia merè personalia cum morte privilegiati ; nec refert , sitne mors naturalis , an civilis , quæ per maximam , & medium capitis diminutionem contingit , s. 1. & 2. *Instit. de Cap. Dimin.* & licet duplex hæc mors civilis in Imperio R. germanico ferè ignoretur , loco tamen deportationis [ quæ est media Capitis diminutio ] ex communi D.D. calculo fit hodie tustigatio cum relegatione , damnatio ad triremes &c. Item bannum ; ubi discrimin occurrit , quod bannum ab Imperatore irrogatum cum jure civitatis universalis , faciat amitti omnia privilegia , irrogatum verò à statu quodam Imperii cum jure civitatis provinciali , ejus saltim provinciæ privilegia adimac.

V. Non tamen morte dantis regulariter exspirant. arg. C. fin. X. de precar. nisi concessa sub clausulâ : ad beneplacitum, tunc eam à nudâ dantis voluntate dependent, cuius terminus ultimus mors est L. 4. ff. de locat. cond. C. 5. de Reserip. in 6. modò dans sit persona singularis, nam à sede vel collegio ad beneplacitum concessa durat, usque dum revocentur; sedes enim aut collegium non moritur. cit. C. 5.

VI. Amititur (5tò) privilegium per abusum, vel quod modo in debito privilegiatus eo utatur, C. 63. q. 3. Caus. II. vel quòd occasione privilegii delinquit, ut si quis spe immunitatis homicidia, aut mutilationes membrorum in Ecclesiis, earumve cæmiteriis committat Cap. fin. X. de Imm. Eccles. vel denique, quod actum ponat privilegio directè contrarium, ut enim legis, ita & privilegii, auxilium frustra quis invocat, qui in legem (privilegium) commisit. l. 37. §. I. ff. de min. pro exemplo sit casus, quem in suis medit. ad pandect. Specim. II. de priv. interitu sijstit Leyser. Nundinarum tolleñnum privilegium est, quod personæ ad illas commigrantes, earumque merces, nec in ipsâ urbe, in quâ nundinæ habentur, nec in itinere ad eam detineri valeant; peccans contra hoc privilegium Mercator Titius debitoris sui Caji merces ad nundinas Lipsienses missas, Erfordii detineri curavit; Cajus, ut arrestum rebus suis impositum solveretur, facile à magistratu Erfordiensи obtinuit; deinde cum Titius Lipsiam ipse ad nundinas veniret, petebat Cajus, ut Titius in carcerem conjectus infrauti privilegii rationes, & poenam redderer; tum hic privilegia nundinarum obtendere, séque durantibus nundinis, nec ob debitum, nec ob delictum, custodiæ mancipari posse; at frusta reclamans privilegii auxilium imploravit, quod ipse læserat; in carcerem igitur compactus, nec priùs dimissus fuit, quâm ad intentatam accusationem responderet, multam solveret, sumtusque omnes in Judicium factos.

VII. Cessat (6tò) si vergere incipiat in grave aliorum aut communitatis detrimentum; tunc enim privilegiatus vel in totum, vel instantum suo privilegio excidit; sic si Ecclesia ministrorum defecum patitur, privilegiati super absentia saltē per sententiam Judicis redire coguntur, C. pen. X. de Cler. non resid. sic privilegium Fratrum Templi, & Hospitalis, quod scandalum faceret, & grave animarum

periculum causando nocivum fieret , circumcidit ALEXANDER III. in Cap. 3. X. de priv.

VIII. Cessat (7mō) privilegium renuntiatione expressâ , quæ cui-libet libera est. L. pen. C. de pac̄t. C. 6. X. b. t. modò (1) renun-tians nec naturâ prohibeatur , nec lege ; nec in tertii præjudicium re-nuntatio fiat ; jus enim quatenus meum à me abdicare possum , L. 7. §. 14. ff. de pac̄t. non etiam quatenus alterius. C. 5. X. de arb. hinc Re-gula est : cuicunque renuntiationi non obstat vel salus publica , vel favor tertii , vel naturalis quedam ratio , illa cum effectu fieri potest ; cuicun-que autem prædicta vel universa , vel singula obstant , ea ipso jure nulla est. Unde (1) monasterium sine licentiâ Summi Pontificis invalidè renuntiat privilegio exemptionis cit. c. 5. (2) Clericus privilegio fori , & canonis renuntiare non potest C. 12. X. de foro Compet. (3) nec filiust. SCto Maced. (4) nec Prałatus privilegio suæ Ecclesiæ concessio. (5) nec Legati suis immunitatibus (6) nec privati privilegiis com-merciorum , quæ ex pacto inter duas gentes subsistunt. (7) Nec in eo-dem instrumento exceptioni non numeratae pecuniæ renuntiari valet ; obstat enim ratio quedam naturalis , quia eadem facilitate quis excep-tioni huic renuntiat , quâ spe futuræ numerationis se pecuniām acce-pisse fatetur. Boehm. de fin. priv. reg. cap. 2. §. 17.

IX. (8vō) cessat renuntiatione tacitâ , quæ fit per Non-Usum privi-legii , aut usum contrarium : ubi distinguendum , inter privilegium affirmativum , quod in faciendo , & negativum , quod in non - fa-ciendo consistit ; item an personæ privatæ , an universitati cuidam pu-blicæ , uti Ecclesiæ , Reipublicæ , concessum sit ; denique an consistat in unico aetu , an verò habeat tractum successivum... si privilegium in unico aetu consistat , sitque negativum , amittitur unico aetu directè contrario , sive personæ privatæ competat , sive universitati cuidam L. 2. C. de jur. dom. impetr. C. 8. X. de præb. & dig. in quo Canonici super certo numero à Papâ privilegiati , si sponte receperint aliquem supra numerum , privilegium suum amittunt. Fallunt tamen hæc (1) si aetus contrarius fuerit coactus. (2) protestatione limitatus. (3) ex ig-norantiâ positus. (4) usus in privilegiati arbitrium commissus fuerit per clausulam vel expressè adjectam vel tacite subintellectam. Engel. b.

*t. n. 19.* (5) si effectum successivum habeat, unicus actus nequit dici directa contraventio renuntiationem inducens, *L. 12. C. de excus. tut. & C. 16. X. de vit. & hon. Cler.* ubi Clericus negotiator post trinam demum monitionem clericale privilegium quoad bona amittit... si privilegium affirmativum sit & privatæ personæ concessum, voluntario non-usu per decennium exspirat *L. 1. ff. de nund. dixi voluntario*: si enim utendi occasio defuerit, aut obstiterit impedimentum, aliud foret, *Gail. L. 2. obs. 60. n. 1...* Si privilegium universitati cuidam e. c. collegio canonicorum, monasterio &c. concessum reperiatur, tunc, si tractum successivum habuerit, agaturque de verâ aliquâ privilegii præscriptione, non-usus aut usus contrarius non nisi post lapsum quadraginta annorum privilegii amissionem operatur, *C. 15. X. h. t.* si agatur de simplice renuntiatione, quâ ad jus commune redditur, lapsus quadraginta annorum non requiritur, *C. 6. X. h. t.* *Videsis Felin. & Panorin. in dict. Cap. 15.* & post illos *Gail. L. 2. Obs. 60. per tot. hic, Dissertationis filum abrumpens, sequentia subjicio*

## COROLLARIA.

*S*ummus Pontifex concedit *privilegia* pro universâ Ecclesiâ irrequisito etiam Episcoporum consensu.

*S*intne *privilegia*, an non sint, quæ in concordatis Sedem Romanam inter & inclitam nationem germanicam sancta fuernnt, perinde est, ea nec S. Pontifex solus, nec solum Consilium aulicum Imperii authenticè interpretatur.

*P*rivilegium exemptionis à solutione decimarum per quadraginta annos sine titulo contra Parochum non prescribitur.

*P*rivilegium exemptionis à solutione decimarum arguit decimas non esse Juris Divini.

*P*rivilegium decimandi à S. Pontifice personis etiam Ecclesiasticis concessum decimas novalium non comprehendit.

*R*egulares nec beneficium saeculare, nec *privilegium* saecularia beneficia acceptandi prescribunt, nisi immemoriali tempore, aut saltē quadragenario cum titulo.

*7. Pri-*

7.  
*Privilegium, quo Clericis testamenti factio conceditur, non facit eis potestatem de bonis ab Ecclesiâ profectis ad causas profanas testandi.*

8.  
*Non obstante privilegio fori Clericus in causâ evictionis emtorum suum coram Jurâ dice laico defendit.*

9.  
*Exceptio non numerata pecunia biennio quidem exspirat ut privilegiata est, non etiam ut exceptio.*

10.  
*Privilegium, quo Princeps cuiusdam prædio necessaria ligna ex nemoribus suis vicinis concedit, non solum ligna igni alendo necessaria, sed quoque tigna (das Baus holtz) continet.*

11.  
*Minor in causâ individuâ constitutus cum Majore, hoc etiam invito, renuntias suo privilegio restitutionis in integrum.*

12.  
*Privilegium personale locari potest,*

13.  
*Privilegium Ecclesiæ fortius non est privilegio Minoris.*

14.  
*Fortius tamen est privilegio aliarum universitatum secularium.*

## S. D. G.



*Privilegium, quo Clerici  
bonis ab Ecclesia pr.*

*Non obstante privilegio  
dice laico defendit.*

*Exceptio non numerata  
etiam ut exceptio.*

*Privilegium, quo Princeps  
concedit, non solum  
h[ab]it[us] continet.*

*Minor in causa individuus  
suo privilegio restitutus.*

*Privilegium personale lo-*

*Privilegium Ecclesiae for-*

*Fortius tamen est privi-*

## TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

